

# Universitätsbibliothek Wuppertal

## Titi Livii Patavini Historiarvm Libri Qvi Svpersvnt Omnes

Livius, Titus

Mannhemii, 1779

Epitome libri tertii

---

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1233](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1233)

EPITOME  
LIBRI TERTII LIVIANI

*SEDITIONES de agrariis legibus factæ. Capitolium, ab exsulibus & servis occupatum, caesis iis receptum est. Census bis actus est. Priore lustro censa sunt civium capita centum quatuor millia ducenta quatuordecim, præter orbos orbasque: sequenti, centum septemdecim millia ducenta novemdecim. Quum adversus Æquos res male gesta esset, L. Quinctius Cincinnatus dictator factus, quum rure intentus rustico operi esset, ad id bellum gerendum arcessitus est. Is victos hostes sub jugum misit. Tribunorum plebis numerus ampliatuſ est, ut essent decem, trigesimo sexto anno a primis tribunis plebis. Petiitis per legatos, & adlatis Atticis legibus, ad constituendas eas proponendasque decemviri pro consulibus sine ullis aliis magistratibus creati, altero & trecentesimo an-*

no, quam Roma condita erat : &, ut a regibus ad consules, ita a consulibus ad decemviros translatum imperium. Hi, decem tabulis legum positis, quum modeste se in eo honore gessissent, & ob id in alterum quoque annum eundem esse magistratum placuisset, duabus tabulis ad decem adjectis, quum complura impotenter fecissent, magistratum noluerunt deponere, & in tertium annum retinuerunt : donec in viso eorum imperio finem adtulit libido Ap. Claudii. Qui, quum in amorem virginis incidisset, submisso, qui eam in servitutem peteret, necessitatem patri ejus Virginio inposuit, rapto ex taberna proxima cultro, ut filiam interimeret; quum aliter eam tueri non posset, ne in potestatem stuprum inlaturi veniret. Hoc tam magnæ luxuriæ exemplo plebs incitata montem Aventinum occupavit, coëgitque decemviros abdicare se magistratu. Ex



quibus Appius & unus collegarum, qui  
 præcipue pœnam meruerant, in carcerem  
 coniecti; ceteri in exsilium acti. Res  
 præterea contra Sabinos, & Volscos, &  
 Æquos prospere gestas continet, & parum  
 honestum populi Romani iudicium: qui,  
 iudex inter Ardeates & Aricinos sumtus,  
 agrum, de quo ambigebatur, sibi adju-  
 dicavit.